



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Sacerdotii Origine & Præstantia - Variis item Industriis, & Praxibus, quibus Sacerdotes boni ad Dei gloriam suámque & Proximi salutem promovendam sunt usi ; Malorum Qvoqve Sacerdotum infelici interitu, radicibus, & remediis Cui etiam Compendium Ritualis, ea, quæ pro commodiori Sacramentorum & ...

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1681

§.4. Exempla Prudentiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48600](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48600)

in eum imitabatur, ut verè diceret, se statux instar manus
 equidem & oculos habentis, sed tamen facultate sentiendi de-
 stituta, rebus hujus sæculi minimè tangi, minimè delecta-
 ti, unde implebat ipse, quod aliis suaserat, ut scilicet usque
 adeò omnia, quæ sub sensu cadunt, & tempore definiuntur,
 obdicare studeant, ut sint instar puri spiritûs. Imò etiam ea,
 quæ corpori & vitæ necessaria sunt, non in solatium, volu-
 ptatè que vertant, sed ut perpetuè servitutis onera, debi-
 tumque criminibus pœnam subeant, adeòque sic se gerant,
 ut gereret potentissimus Monarcha, eò miseriarum redactus,
 equum strigili defricare, purgarèque sua ipse manu cogere-
 tur, qui sanè ejusmodi servitutem non nisi cum horrore &
 regii pectoris indignatione serviret, ab eaque, quàm celer-
 timè posset, se expediret.

§. IV.

Exempla Prudentiæ à Sacerdotibus
 relicta.

I. Quantopere hæc Prudentia, quæ est virtus aptissima
 ad propositum sibi finem media eligens, iisque sedulo utens,
 Sacerdotibus sit necessaria, vel ex eo patet, quòd ipsi electi
 sint ad animarum regimen; si ergo Salomon ad Populum
 sibi subjectum in temporalibus rebus regendum à DEO ele-
 ctus, 3. Reg. 3. quod vellet, à DEO postulare justus, ante
 omnia cor docile (seu, ut 2. Paralip. c. 1. clariùs dicitur,
 sapientiam & intelligentiam) petiit, ut Populum suum ju-
 dicare posset, & discernere inter bonum & malum; quanto
 magis Sacerdos pro regendis animabus constitutus hanc
 Prudentiam ac Sapientiam desiderare, & à DEO petere de-
 bet, ideòque consilium S. Jacobi sequi c. 1. dicentis; *Si quis
 vestrum indiget Sapientia, postulet à DEO, qui dat omni-
 bus affluentior, & non improperat, & dabitur ei; Sic enim
 dicere poterit cum Salomone Sap. 7. Optavi, & datus est
 mihi sensus: invocavi, & venit in me Spiritus Sapientia.*
 Certè Christus ipse, ut, quantopere hæc Prudentia Sacerdo-
 tibus necessaria sit, ostenderet, Apostolis regimen animarum
 suscepturis ante omnia hoc præceptum dedit Matth. 10. *Estote
 prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columba.*

Porro sequentibus præcipuè actibus Prudentiæ hæc à Sacerdotibus est demonstranda.

II. Primus est, ut sui curam ac salutem omnibus proponat; cum enim homo qui vis ad æternam felicitatem ultimum finem creatus sit, graviter sanè contra Prudentiæ leges peccaret, qui alios ad illum finem assequendum periret per talia media, per quæ ipse ab ejusdem finis assecutione arceretur; unde meritò Servator Matth. 16. dixit: *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animam vero suam detrimentum patiatur?* Et sapienter etiam Salomon pronuntiavit Prov. 29. *Totum spiritum suum profert stultus sapiens differt, & reservat in posterum.* Quod quæ ratio fieri debeat, aptâ similitudine explicavit S. Bernardus super Cant. dicens: *Quamobrem si sapias, concham te exornabis, & non canalem; hic siquidem penè simul recipit, & effundit; illa verò, donec impleatur, expectat, & sic superabundat, sine suo damno communicat.* Nempe bene prudensque caritas affluere consuevit, non effluere. Id quod non pauci Sacerdotes suo exemplo confirmarunt.

S. Dominicus, cum per diem tempus non haberet, vacationi vacandi, sed perpetuò in salute Proximi procurandis occupatus esset, majorem noctis partem in oratione, ac meditatione, sui que inspectione infumebat, ne, dum alios saltem re studeret, quicquam de proprio fervore amitteret.

S. Paulus de seipso faterur 1. Cor. 9. Ego igitur sic curans, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aërem ventilans, sed castigo corpus meum, ne, dum aliis prædicando, ipse reprobus efficiar.

S. Franciscus Xaverius & ipse curabat strenuè, & Operariis ante omnia suadebat, ut attenderent sibi, nullamque rem ducerent, casto, piòque DEI cultu, & animarum suorum salute, ac perfectione potiorem. His præditos animis non solum tuto ac facillè aliorum saluti consulturos, sed etiam ad res quamvis humiles & abjectas, sine quibus rei Christianæ administratio utique jaceat, alacriter, libenterque descensuros. Vit. 1. 2. c. 20.

P. Balthasar Alvarez è Societate JESU, dicere solebat non esse Operarii Evangelici munus, seipsum omnino tradere Proximis à dextris & sinistris; sic enim facillè cor illud

secularizare, & amittere spiritum suum, sed in pondere & mensura, cum ea scilicet moderatione, quæ se ita cum Operario tali compariatur, ut media non negligat orationis & profectus proprii, quemadmodum in instrumentis Artificis usus eorum censetur bonus, qui aciei eorum sit conformis; nam si securis acies obtundatur, etiam si tota die percutiat, nihil boni faciet, quæ tamen acuta vel unâ horâ plus præstitisset. Vita c. 8.

III. Secundus actus est, ut nihil præcipitanter, & inconsideratè; sed omnia cum circumspeditione & prævia deliberatione fiant; nam ideo, teste S. Gregorio l. 29. mor. *Animalia Prophetica & in circuitu, & intus plena oculis esse memorantur. Quisquis enim exteriora sua honestè disponebat, sed interiora negligit, in circuitu oculos habet, sed intus non habet. Sancti verò homines & exteriora sua circumspiciunt, ut bona de se exempla præbeant Fratribus; & interiora sua vigilantia attendunt, quia se irreprobabiles interius Iudicis obtutibus parant, ideo in circuitu oculos, intus habere dicuntur.* Inter quos Sanctos meritò non pauci Sacerdotes nominari possunt.

S. Ignatius Lojola certè præ reliquis in hoc genere excelluit, utpote de quo Historia Soc. p. 1. l. 16. n. 102. testatur, cum ratione & consilio plurimum fuisse usum, crebròque usurpare solitum, à beluis hominem sola ratione differre. Undè ipse in omni actione & finem actionis, & media, modòsque perfectissimos ea perficiendi excogitabat. Et licet in agendo cum aliis suspiciosus ac timidus non fuerit, erat tamen valdè circumspectus ac providus, ut illi non facile quisquam posset imponere. A cœna insequentis diei negotia disponebat. Cum omnia pietatis opera ad salutem Proximi spectantia complecti non posset, magno delectu præferebat publica privatis: perpetua iis, quæ ad tempus fiunt: incerta incertis: secuta periculosis: neque tam videbant, quantum res ipsæ essent, quam quantum spei ad eas. conficiendas ostenderetur. Hinc agebat, non res nobis, sed nos rebus accommodari debere. Ribad. l. 5. vit. c. 11.

Alanus de Solminihac Episcopus summè circumspectus erat dicere solitus, in præsentis vita decipi nos posse, sedulam proin rerum agendarum curam habendam. Negotiorum successum

cessum eminens providebat; nihil leviter & ex præcipitatione faciebat dicens, quòd agere tali modo non sit aliud, quàm seminare curas; & metere; ejus dein nos pœnitent. Vita l. 3. c. 8.

Petrus Forerius Canonicus Regularis & Parochus ignarus Prudentiam olim cum triplici facie pingi solitam tanquam respicientem tempus præteritum, præsens, & futurum, diligenter triplicis hujus temporis rationem habebat. Et 1. quidem fideliter ad res præteritas, & successum æternum advertebat animum, & si quidem desiderio & concupiscentia responderet eventus, iisdem mediis etiam in alia occasione utebatur; si verò secus accideret. perquam diligenter utebatur, ubi commississet errorem, eum emendaturus, malum prospecturus in tempore, quod quidem ipsi plurimum utilitatis emolumenti, ut sublimem prudentiæ gradum attingeret. Ut futura penetraret, præter naturalem ingenii bonitatem tantum luminis ex familiari cum DEO consuetudine habebat, ut occultiora quoque detegeret. Pro re præterita tot captabat consilia, monitaque, tamque prudenter & cum spectu utebatur iis, ut errare quasi fuerit impossibile. eaque propter omnis generis Personæ in negotiis intrinsecis ad eum confugerent. Vita l. 2. c. 11.

P. Petrus Faber è Societate JESU mirâ prudentiâ in actionibus quatuor capita acutè observabat. 1. Ut utramque rem gerendam prudenter inspiceret, an ea eorum hujusmodi, ut sua sponte referretur ad DEUM, & cum suo animo esset salutaris, tum utilis alienis. Deinde quâ mentis quòve animo fieret, ut ab utraque gena commendaretur animæ facies, eique jure dici posset à Sponso: *Quampræcipue sunt gena tua*. Tum quo ductus Spiritu unamquam rem gereret, ne, quod Filiorum more amanter gerere esset, serviliter ageretur. Denique perpenderet ipse secus quanta sit facilitas DEI, quanta clementia in eo accipiens quod damus, admittendisque laboribus ac conatibus nocentem solus ille dolorem, laborémque consideret. Vita l. 2. c. 8.

IV. Tertius actus est, ut omnibus, quibuscumque quantum salvâ conscientia fieri potest, se accommodet, ut sapienter S. Franciscus Borgias vit. l. 4. c. 8. ad vertit.

omnes, quorum curam suscepimus, unâ regulâ metiendi, sed
 potius boni milites imitandi sunt, qui pro fistulæ captu ma-
 chinam bellicam sulphureo pulvere implent, ne dissiliat.
 Quod præceptum sanè non pauci Sacerdotes studiosè obser-
 varunt.

S. Paulus de seipso fatetur 1. ad Cor. 9. Cùm liber essem ex
 omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem,
 factus sum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucraret,
 factus sum illis, qui sub lege sunt, quasi sub lege essem (cùm ipse non es-
 sem sub lege) ut eos, qui sub lege erant, lucrifacerem: ijs,
 qui sine lege erant, tanquam sine lege essem (cùm sine lege
 DEI non essem, sed in lege essem Christi) ut lucrifacerem eos,
 qui sine lege erant. Factus sum infirmus, ut infirmos lucrif-
 facerem Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem sal-
 vos. Unde meritò 2. ad Cor. 12. ait: *Ego vos non gravavi,
 sed cùm essem astutus (& prudens) dolo (pio & licito) vos
 cepi.*

S. Ignatius Lojola ut omnes lucrifaceret, ambitiosis splen-
 dida, avaris utilia, voluptuosis jucunda proponebat. Tri-
 stem & horridam sapientiam semper vitabat, quantum po-
 tuit, se ad communem consuetudinem accommodans, ita ut
 ejus mores primâ fronte intuentibus unus è Populo videretur
 esse. Ut Macrobius l. 3. vit. c. 11. testatur. In vocandis homi-
 nibus ad virtutem suis armis petendum Sathanam dicebat;
 sicut enim ille animam justi non continuò apertis armis &
 insidiis, sed tectè oppugnat, nihil primò bonis actionibus
 observando, imò multa, quæ honesti speciem præbent, sug-
 gerendo, donec tandem incautum decipiat; ita in allicien-
 dis ad salutem animis laudanda prudenter ab initio in homi-
 nibus, quæ sunt recta, vitiis parumper intactis, ac leniter in-
 eorum gratiam irrependum; quâ conciliatâ tum demum ad-
 movendam medicinam. Hist. Soc. p. 1. l. 3. n. 49.

S. Franciscus Xaverius mirâ erat prudentia in converten-
 dit peccatoribus; nam primò dissimulavit eorum vitia
 omni affabilitate eos devinciens, tum recensitos varios ma-
 jorum casus, eorumque vitam divinis mandatis contrariam
 ostendens eos convertebat. Si quando aliquis improba di-
 ceret, nullam indignationem ostendebat, nec errantem tum
 reprehendebat, sed in ejus familiaritatem se insinuans, & se-
 ducens

ducens hominem sine arbitris monebat dicens, mirati sunt illi illi verba excidisse. Vit. l. 3. c. 15. & 10.

Petrus Forerius in intimos cordium recessus à natura, pericentia, gratiâque collustratus penetraus, naturalem cuiusvis affectum cognoscebat, & quidquid vitiosum inveniret rescindens, unumquemque secundum naturam suam perire nitebatur, eximiumque præstare, pro fundamento ardens, quod indole tali bonum esset, rectumque, cui potius virtutum omnium margaritas inædificabat convenienter primis principiis ac radicibus bonitatis ibidem reperit hilari nequaquam suam hilaritatem disturbabat, solū tendens, ne in immoderantiam transiret: Melancholiam in sua animi collectione & solitudine relinquebat, tantum incumbens, ne hic humor in morosiores tristitias degeneraret: verbo omnibus omnia fiebat, demperatam imperfectione, ita ut merito Prudentia illius, Matrisfamilias instar esse crederetur, quæ demensum in frustra contumacitatem cuilibet domesticorum secundum ætatem & corporis constitutionem partitur. Vita. l. 2. c. 11.

P. Bernardus Coluagus è Societate JESU noverat perit omnibus omnia fieri, demittere se ad animas humi repentes & ad eas, quarum conversatio in cœlis est. Ad cujusque gratiam formabat seipsum ac verba componebat: Nec plus nūsvē loquebatur, quàm sciret Auditorem ferre posse. Non fuit tam grandis ullus, qui eo familiariter uti non ignareretur: nemo tam abjectus, quocum ipse suavissimè agere non nōsser, & vellet. Vita l. 2. c. 10.

§. V.

Exempla Justitiæ à Sacerdotibus relicta.

Justitia in genere definitur à Theologis virtus jus factum cuique tribuens; unde quia variæ sunt Personæ, quibus tale tribui potest, variæ etiam justitiæ species exurgunt, nempe Religio erga DEUM, Christum & Sanctos, Obedientia erga Superiores, Misericordia erga Pauperes, Charitas fraternalis erga æquales &c. de quibus proin omnibus specialiter agendum nunc est.